

sanctae Ravennate ecclesiae ipsi Venetici presidia atque possessiones haberent, omnino eos exinde expelleret et sicuti ecclesiae suae iura manibus suis tenere.

Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

**37.** — 803, 21 marzo. *Leone III concede il pallio al patriarcha Fortunato.*

FONTI: Arch. Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 15 e 17, n. 11 e 13; cod. marc. lat. XIV, 74, c. 281; 77, c. 146; cod. marc. Zanetti latini, 400, c. 64 v. e sg.; cod. bibl. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1094; Migne, *Patrologia latina*, CXXIX, 969; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., p. 126 sg.

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri Fortunato, patriarchae Gradensis ecclesiae. Diebus vitae tuae tantummodo officium sacerdotis assumere, si interiori vigilancia perpendamus, plus est oneris quam honoris, quippe qui propria curare non sufficit, nisi et salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur, ut aliorum in se sollecitudinem pia provisione suscipiat, et in eorum sub se custodia vigilanter disponat, ut lupus, insidians possibilitatem, in eo irrumpendi non habeat, nec laesionem ovibus inferat. Sic, qui animarum curam suscepimus, assiduam debemus sollicitudinem exercere, ut callido antiquoque humani generis inimico aditum paecludamus et totis contra eius voracitatem viribus obsistamus, ne nostra forte desidia rabida, quod absit, quemquam fauce deglutiat, et eius ad nostram non immerito applicetur poenam perditio, qui commissos sollicita custodire cautela negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimus, et quibus divini dispensatione consilii praeesse nos contigit, prodesse, quantum possumus, festinemus, ut, dum creditor rationem nobiscum positurus advenerit, lucrum nos fecisse reperiatur et sua, sicut promisit, remunerazione laetificet. Hoc itaque, frater clarissime, considera, et locum, quem adeptus es, non ad